

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De divinae providentiae vestigiis in traditae Augustanae confessionis negotio

Crell, Heinrich Christian

Francofurti ad Viadrum, 1730

§I.

[urn:nbn:de:bsz:31-67545](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-67545)



§. I.

Magnam esse veritatis virtutem, eximi-
umque decus, quo mortalium pectora per-
cellantur, & occulta quadam necessitate
in eius trahantur assensum, nemo inficia-
bitur, nisi stipes stuporque sit, & omni hu-
manitatis sensu deposito vel ad Solis splen-
didissimum jubar cæcutiat. Est enim hæc
sapientissimi Conditoris benignitas, ut, cum vagos in hac vitæ
scena circumferri, & suæ libidinis impetu impotentes agitari
mortales nolit, sed normam sequi, dicto audientes esse, &
ad suæ voluntatis arbitrium compositos cupiat, quendam ve-
ritatis sensum, natura ipsa quasi propinante, nobis instillaverit,
qui arcano stimulo ad eam solícite indagandam, ad inda-
gatæ curatiorem culturam, studiumque, humana ingenia im-
pellit. Cujus gustu cum demum imbuta mens, intimioriq;
ejus perfusa est cognitione, tam teneros sui gignit amores,
& tam blandis igniculis altius conceptis ingenuos sui cul-
tores inflammat, ut præstantiæ hujus conscii, ad alios ejus
notitiam cupidi transferant, ingenua professione ubique
commendent, & contra osores & ἐμπύκτας mascula defen-
sione tueantur.

Χ3

§. II.